



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pymontani, Liberi Baronis De Furstenberg**

**Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>**

**Parisiis, 1684**

Ad Joannem Visse Attendoriensem, e Societate Jesu, ... Responsum  
Auctoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7748**

A D  
 JOANNEM VISSE  
 ATTENDORIENSEM,  
 E SOCIETATE JESU,

*Gallinam & duos serpentes eodem in nido ovis incubantes, prope  
 villam Collinam in Diœcesi Paderbornensi An. M. DC. LXVIII.  
 hoc extemporali epigrammate describentem.*

JUXTA humilem gallina casam male provida, putri  
 Urticas inter nidificarat humo.  
 En coluber geminus cæco prolapsus ab antro,  
 Ova super multo lubricus orbe cubat.  
 Nil trepidat gallina; duos super incubat angues,  
 Officii mater gnava tenaxque sui.  
 Nec cessat coluber; sub pluma matris & ungue,  
 Quod neuter peperit, fatus uterque fovet,  
 Et facit ambiguum foto de semine litem,  
 Sit pullus colubri, sitne futurus avis.  
 Femina decidit litem, non ore, nec ense,  
 At sude vipereum comminuendo caput.  
 Pythonem jaculis armatus stravit Apollo,  
 Occidit colubros Bruëtera Nympha duos.

RESPONSUM AUCTORIS.

EN pro versiculis tuis, amice,  
 Una qui simul incubatione  
 Invisa prius ova confoventes,  
 Gallinam, & geminos canunt colubros,

O iij